NOVVS AMPHION DIVÆ CLAROMONTANÆ,

Sub Auſpicijs

ILLVSTRISSIMI & REVEREN-DISSIMI DOMINI,

D. STANISLAI ZAREMBA,

EPISCOPI CHIIOVIENSIS,

ET

CZERNIECHOVIENSIS,

ABBATIÆ SVLEOVIENSIS ADMINISTRATORIS Meritiſſimi;

AD LYRAM MARIANAM

REPRÆSENTATVS

Permiſſu Superiorum.

ANNO A REDEMPTO ORBE

M. DC. XL. VII.

GENTIS ET PRÆSVLIS INSIGNIA.

S. Z.



E. Ch.

Et. Cz.

QVid ſibi vult facies, de celsâ turre, Leonis?
Infra Gemma triplex, iactat in aſtra decus;
Digna Zarębarum Genio, Te digna Patrono
Symbola, digna Tuæ, Myſta Sacrate, domus,
Roboris & ſplendoris opes, tibi ſtemma miniſtrat;
His ſuffultus Honos, altiùs ibit iter.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO,

D. STANISLAO ZAREMBA,

EPISCOPO CHIIOVIENSI, ET CZERNIECHOVIENSI,

Administratori Abbatiæ Suleouiensis Meritißimo,

Domino & Patrono Colendisſimo.

PEregrè venit ad Te, Diuæ Nostræ CLAROMONTANÆ, religioſus Amphion, è voto totius Eremitici Ordinis Tibi oblatus ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE. *Sed nec polluet Sanctitatem dignitatis Tuæ, quæ Te, de Eccleſiâ & Abbatiâ Suleouienſi, optimè meritum celebrat, ſi eum ad penetrale Tuum, imò etiam ad cor admiſeris. Certè quâ prudens & comis es, inuenire apud Te gratiam, ac ſimul pro beneficio, Cænobio noſtro præſtito, eandem rependere, idem poterit. Quidni enim publicè Tibi rependat, hoc tantum Honoris & Munificentiæ Tuæ, in Diuam noſtram, argumentum, quod Tu publicum eſſe voluiſti? quando proximè elapſo anno, certam pecuniæ ſummam, pro Muſicis Organicis (qui ſingulis circa Orientem & Occidentem Solem, diebus, Diuam noſtratem, variorum inſtrumentorum concentu (Tuo nimirum nomine ſalutarent) quaſi in dotem numeratam, ipſo peruigilio* IMMACVLATÆ *eiuſdem* CONCEPTIONIS

 liberali-

liberalitèr profudisti. Absit igitur, vt Tuam tantam, adeoq; Munificam Beneficentiam, absq; debito præconio, immunem dimittamus. At esto sileremus nos quoque ad tempus, supplicationibus secretis, pro Tuâ incolumitate interea intenti; At sonus ipse quotidianus harmonicus, longè lateq; per adiacentes campos, & syluas ob editâ turre diffusus, clarè ardentem Tuam, hìc frigidâ ætate, nec vllibi hactenus, saltem in Regno nostro, visam deuotionem, non solùm intra Patriæ confinia, sed disiunctis quibusq; in Prouincijs deprædicabit. Quamuis sine hoc nostro gratulatorio apparatu, tot re ipsâ, nunc quoq; habes, Tuæ istius pietatis Oratores, quot Clarus mons noster (quotidie ferè, ab innumeris frequentari solitus) habet & spectatores. Nimirum Tu primus es inuentus, apud quem, nouus hic Diuam Claromontanam salutandi ritus, suum inuenit locum, vt esses, in quo hæc ipsa Miraculosissima Diua, tanquã de sui Mariani Choragij Benefactore, gloriaretur. Et sane hilaris ex alto conuexo cælorum; Te illa suspicit, atq; Tuos hos sumptus, in cultum ipsius, sic profusos, iucundissimè contemplatur. Macte ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE, hác Tuâ Religione, quæ simul semelq; & Tuæ erga Deum pietatis, & erga nostrum Cœnobium singularis beneuolentiæ, viget vigebitq; monumentum. Quin imò ære perenniùs stabit, si melicum hoc, in plures reliquos currentes annos, parili sumptu promoueris opus, cuius fundamenta ad faustam, IMMACVLATÆ, vti dixi, CONCEPTIONIS Virginalis, ab Orthodoxá Ecclesiá institutam Festiuitatem; Munificus Mecœnas iecisti. Nollem igitur & ego, hunc diem tali dicatum pompa, alio quam Mariano adornare Epinicio. Totum id præstabit, Tuis sub auspicijs Claromontanus hic Amphion, non iam muta saxa testudinis suæ concentu animans, sed patronæ Tuæ, Tuaq; viua merita, Apollinari nonnisi retexens lyrâ. Vnde nec dubito, quod vbi primum Diuam istam suis, in Conceptione, depictam coloribus, benignissimo vti consueuisti, exceperis vultu, protinùs & erga Musam hanc Mansuetiorem, sic Tuo Illustri Honori velificantem, æquè humanam induere non dedignaberis voluntatem. Verum nec illud miraberis, quod deuotionis modestiæq; Tuæ non ignarus, longè plura, de Virgine hacce intemeratè Conceptâ,

quam

quam de Tuis hactenus præclarè gestis (quæ aliud patentius theatrum requirunt) Elogia profuderim, vtpotè qui omnia donorum charismata, quibus plurimis polles, Te accepisse à MARIA, quâ publicè, quâ priuatim non inuitus profiteris; Nisi quod nefas hîc quoq; maximum censeri debet, quisquis vel Te ab argumento isto, vel argumentum hoc, à tuis laudibus seiunxerit. Non patiar itaq; & ego, vt opellam hanc in plures distraham authores, quam totam, post Diuiparam Virginem, Tibi eiusdem Fidelissimo cultori eo consecratum. Excipe igitur quales quales, gratulabundas attamen Charites, eâ facilitate quâ veniunt, quantum de suâ paruitate sollicitas, tantum de Tuâ spectabili humanitate securas. Et quoniam non ita pridem emeritis Tuis virtutibus, nouus quoq; Honor æquè Præsulari ac Senatoriâ dignitate conspicuus, eâdem Diuâ nostrâ sospitatrice annuente, accessit. Hic idem Amphion, his quoq; meritorum tuorum accessionibus, pro complemento, debitum conferre plausum, non moratur. Interim DEVM Optimum Maximum Diuamq; nostram precabimur, vt tamdiu (dilato illo in multos retro subsequentes annos, beatæ immortalitatis æterno vsu) vota nostra Tuaq; differri sinat, quoad Ecclesiam Chijouiensem Tuæ fidei desponsatam, tam maturus æui recrees, quam Te maturum meritis & Episcopalibus virtutibus videmus. Datum in Cœnobio Nostro Claromontano, ipso die Proto-Eremitici Nostri Ordinis Patriarchæ, D. Paulo consecrato. Anni Currentis M. DC. XLVI.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudinis Tuæ

Humillimus Deprecator,

F. Ioannes Dionysius Lobzynski
Ord: S. Pauli Primi Eremitæ.

GRATVLATIO NOVI ANTISTITY,

Ad eundem ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM DOMINVM.

PEriucundum Honoris nuntium, quò Te ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME ANTISTES, virtutis meritorumq; ergò, DEI inprimis Opt: Max: beneficio, tum & Sereniſſimi Regis VLADISLAI IV. prudentiâ inſigniuit, quando ex Abbatiâ Suleouienſi ad Epiſcopatum Chijouienſem, ac ſimul ad gubernacula Reipublicæ admouit: momento penè per Poloniam diſſipatum, difficile dictu eſt, quam multas optimorum quorumque, gratulationes ad Te ſalutandum protinùs exciuit. Erant, qui hilaritèr geſtirent, quod in Liberrimo, ſi quod ſub Sole, Regno, illuſtre conſecutus ſit ſubſellium; Lætabantur amiciſſimi quique, Tuæque Nobiliſſimæ Familiæ addictiſſimi, quod ſpe rerum felicium, animos eorum impleueris. Gaudebat, imò etiam nunc gaudet fidelis, per latè patentis Vkrainæ, profuſus Catholicorum grex, Tuæ fidei interea, in ampliſſimâ illâ Diœceſi, concreditus, quod ſub Tuam (qui Leonis generoſiſſimi; pro muro in gentilitio Tuo ſtemmate excubantis, Symbolo inſigniris) Tuiq; clariſſimi Nominis tutelam conceſſit. Tum verò & Noſtro Claro Monti, cui tuus honor medullitùs cordi adhæſit, ſingularis lætandi & gratulandi Tibi, nata eſt occaſio; adeò, vt eam ſine graui periculo præterire nequaquam potuerimus. Nouimus ſiquidem, quo ſemper fueris, quamque beneuolo animo, erga Cœnobium Noſtrum; ſcimus, probeq; intelligimus, quam conſtans quamq; delicata, ac ideò [hac præſertim exſuccâ pietatis ætate] rara, erga Diuam Noſtram, quam frequentiùs inuiſere conſuêſti, Tua Deuotio. Recens attamen, illudq; munificũ beneficiũ, quod per Muſicum concentũ ſupra Turrim Templi noſtri excitatum, Noſtro Claro Monti, pro honore eiuſdem Diuæ præſtitiſti; iure quodam ſingulari, nouam quandam animorum alacritatem, vtque magis lætaremur, & gaudentes nobis, & gratulantes Tibi, imò gratias quoque DEO agentes, religioſè triumpharemus, à nobis poſcit efflagitatque ardentiſſimè: Et ſane deeſſent etiam no-

am nobis, alia amoris Tui, ergo nos, Diuamque Noſtram obſeruantiæ argumenta; Hoc vnicum ad Te, non minus celebrandum, quã gratulãdum Tibi, Nouum eum Honorem, procul dubio ſuffeciſſet. Vixdum enim vota Tua, ad Diuam Noſtram nuper conceperas, vixdum & eodem Spiritus ardore, votum Diuæ aurum, pro Muſicâ, ipſo peruigilio Immaculatæ Conceptionis ipſius, ſupplex depoſueras; Protinus Anno integro ab inde vix elapſo, ô quam facilem hanc ipſam Diuam, erga Temetipſum expertus es, cuius interuentu ad eum dignitatis gradum prouectus, & REVERENDISSIMVS PRÆSVL, & ILLVSTRISSIMVS SENATOR celebraris. Iraſcebamur mehercùles Fortunæ Tuæ, quod Te non indulgentiùs habuerit. non mitiùs tractauerit, atque in Magnum PRÆSVLEM pridem ante renuntiauerit. Niſi quod & Diua Noſtra, præſens vbique Tua Tutana, conſtantiam erga ſe Tuam probare, & Sereniſſimus Rex, in Monaſterio Suleouienſi cum laude hucuſq; moderando, aliquandiu exercere, ac quaſi robur colligere voluerit, vt maiores quaſuis dignitates, tàm ex manu ipſius, quàm è merito Tuo digniùs poſtmodum caperes. Cæleſtes etenim motus, Tuus in ſe honor expreſſiſſe nobis videtur. Nam vt illi ſempiterno ſe labore ſeruant, atque irrequieto vegetant motu; Ita Tua merita & labores ſeſe hactenus alternarunt, donec tandem ad Solſtitium præſentis Honoris, præclarè geſtis, præclariora facinora accumulando, perueneris. Atque hîc, non eſt nobis animus, ſingula Tua merita, quibus Tibi magnam nominis gloriam, tàm in aulâ duorum Sereniſſimorum, SIGISMVNDI III. & VLADISLAI IV. Regum Poloniæ, quam in varijs obſequijs Reipublicæ, maximè verò in Iudicijs Tribunalitijs rarâ prudentiâ, modeſtiâ, Fide, morumq; grauitate comparaſti; nolumus, inquam, hæc & ſimilia, ſatis honorificè à Te acta, quaſi per theatrum Honoris, ſigillàtim circumducère; ne ſimul generoſo Tuo animo [qui laudanda màgis facere, quàm laudari didiciſti] rubricam aliquam inducamus, aut purpurâ obducamus verecnndam frontem tuam. Virtus nimirum, virtus, inquam, Tua, etiam tacentibus omnibus, ſe ſuo pretio commendabilem, ſemper fecit. Cuius odore & ſplendore commotùs INVICTISSIMVS REX NOSTER dignum iudicauit, cui adeò Illuſtre Antiſtitium, cum minimè ſperares petereſuè, vltro conferret. Et hæc eſt tandem meritorum genuina laus, non affectaſſe honores, ſed eoſdem proprijs virtutibus meruiſſe. Hoc olim Maiores Tui, quâ in pace Togati, quâ in rebus bellicis Trabeati, gloriosè ſatis præſtiterunt. Et quidem poſt plurimos alios Senatoriâ amplitudine conſpicuos

Heroas,

Heroas, Duo præ reliquis, fulgentiſſima Eccleſiæ & Regni Sydera, è tuâ Familia, Andreas Poſnanienſis, & Ioannes Wratiſlauienſis, rerum præclarè geſtarum, dignitate Illuſtres Præſules, vel maximè eminent; In quorum omnium ſinum, ſepoſitis etiam ab aulis Regum & abſentibus, honores quoſuis magnos, infuſos ſcimus. Vſque adeò verum eſt, quod apud viros cordatiſſimos incorruptæque fidei celebratur; *Magnum eſſe exambire nolle, cum mereri ſufficit; & accipere nolle, quam non mereri, maius eſt.* Bonum igitur factum Eccleſiæ, & Reipublicæ noſtræ, felix fauſtumque ſit; Te Epiſcopum Chijouienſem Zeloſiſſimum, Regni Senatorem ampliſſimum, Vkrainæ in ſacris Principem, atque in illis, heu dolor! nefando Schiſmate infectis partibus, Orthodoxæ Religionis, Cuſtodem vigilantiſſimum ſalutari. Verum neque hîc gradus limeſque dignitatis Tuæ, quia necdum & ſoliciti ac vigilantis laboris Tui (hoc enim nobis de Te, Leo Tuus Gentilitius pro tutando grege Chriſti, in muro vigil excubans, atque ad examinandos fidei hoſtes congredi paratiſſimus, appromittit) meta curſuſque defigitur. Sol nondum eſt in Auge, dicebat CAROLVS V. re & nomine Magnus, Hiſpanorum Rex ac Germanorum Imperator ſemper Auguſtus, animi ſui magnitudine, omnia inferiora eſſe, augurans; Tibi hoc dictum cedat in omen & augurium auſpicatiſſimum, PRÆSVL REVERENDISSIME, qui pulchritudine virtutum Tuarum, & magnitudine Zeli prudentiæque Tibi innatæ, non decurrere Zodiacum Maiorum Tuorum, ſed & illuſtrare collectam ab ijſdem amplitudinem, felicitèr ſanè incipis. I curre, quo Te Auguſta illa virtutum omnium, Regina; Religio, inquam, auſpicem & ſoſpitem deducere ſatagit cupitque. Interim dum nos ex antiquâ lætitiæ formulâ, Tuæ huic Præſulari dignitati, SALVE ô SALVE, feſtiuo acroamate occinimus, integram, felicem, perpetuam incolumitatem, à DEO, Diuâque Noſtrâ apprecantes, vtque hunc Eccleſiaſtici Honoris ſummum magiſtratum, quem recens iniuiſti, ita adminiſtres, quoad Tuas ouiculas, in medio nationis prauæ, inter Hæreticos, inquam, Schiſmaticoſque degentes, ſperatus fructus; ad Sereniſſimum Regem, qui eum Tibi contulit, ſapientiæ laus; ad nos Tuo nomini ſemper addictiſſimos, expectatum ſolatium & patrocinium; & denique ad omnes qui Tibi delatum gratulantur, quàm plurima deriuetur vtilitas. Ita Fiat! Ita vouemus! Da id ô DEVS! Da id ô Chriſte!

AD DIVAM CLAROMONTANAM.

In cuius Honorem

Idem ILLVSTRISS: & REVERENDISS: ANTISTES, *ipso peruigilio* IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS *illius, Anno tunc currenti 1644. Annuum stipendium pro Musicis Organicis ex Voto deposuit.*

CARMEN VOTIVVM.

Ecquis corusco lucet in æthere
Splendor! faces quis, proÿcit igneas?
Quod sydus, aut lumen polare,
Empyreos iaculatur ignes?
Ecquis micantes, nubibus in cauis,
Crispat nitores? Cynthia quas vibrat
Flammas? & agros quod venustat
Insolito, iubar, igne flagrans?
Quantus per axes Sydereos volat
Clamor, coortis vocibus vndique
Suauis auditur, volucres
Dulce melos repetunt per auras?
O quot, corollis, tempora, fulgidis
Præcincti, alumni cœlituum! aureas
Pulsant Lyras, & festa ritu
Nescio, quæ expediunt solenni?

Fusi per amplas ætheris orbitas,
Fundunt odores! ô quid id! inclyta
Tellus vicißim, se Trophæis,
Empyreis decoratq́; sertis!
Io supernæ militiæ Duces!
Io beati Nobilitas poli
Acclamat! & præfectus astris
Sol radio meliore lucet!
Circumsonantes percipio tubas,
Admurmurantes audio Cœlites,
CONCEPTIONEM *num* MARIÆ
Vt celebrent, glomerantur omnes?
At, quis valebit plena stuporibus?
Dignus vel vnquam dicere canticis!
Miranda Sacramenta rerum,
Aonijs resonare chordis?
Intende, Vatum Die furor, metris,
Et temperatam suggere mi chelym,
Intaminatas, dum MARIÆ
Est animus celebrare cunas;
Hanc tolle festis cantibus inclyta
Pubes tenellam, quam Sobolem Parens
Missam, Supremi Regis arce
Sensit onus gremio Senili.
Nouum futura est Sydus, vt igneos,
Nascens, micanti lumine clarior,

Orbes

Orbes perenni lustret ortu;
Terrigenasq; beet caducos;
Hùc quem recepta, pignus amabile,
Iuuat salutis, principium datum
A Virginis partu recense,
Pro merito referens, Triumpho.
Aras per omnes, flos niteat Rosa,
Dum Liliorum Flos sterili emicat,
Agro, recenti qui colore
Perpetuis reuirescet annis;
Quid Musa differs fatidico potens
Secreta rerum pandere Spiritu?
Eheu Puella, bella adornat,
Bella Erebo metuenda tristi!
Hæc sæua vincet tela libidinis,
Mentisq; tollet colla tumentia,
Patris relinquet vix triennis
Limina, tecta petens sacratá,
Hâc cum tenellus mænia deseret
Salem, recentèr progenitus puer,
Et versus Aegyptum vacillans,
Virgineus properabit exul;
Vectura Phœbum restituet diem,
Aurora Surgens præuia luminis,
Promissa dudum Virgo terris,
Grata senum soboles parentum.

Hæc bellicoso pectore fortiter
Sternet furentis Dæmonis impetus;
Cur non triumphales, beata,
Pro meritis aget illa pompas?
Hæc, hæc Tyranni, vindice, verticem
Pede impotentis, conteret, & minas
Franget Barathri, Hæc prima, Auerni
Lucifugos perimet colubros;
Deuota fratrum turba ferox Stygi,
Quis sensus acri pectore tunc fuit,
Concussit Orcum quando vestrum
Christiparæ Genitricis ortus?
Quæ tam insolenti Tartareos metu
Fortuna ciues obruit? horrida
Quæ vis Styga vrget? quoue Ditis
Regia concutitur tumultu!
Quid cerno! partum Virgineum, stupens
Demittit atras bellua centiceps
Cristas, & intorti capillis
Eumenidum quatiuntur angues?
Ceruice vastas concutiens iubas
Obsessa mundi climata deserit,
Chaos petit, splendoris ortu,
Virgineis domita & lacertis.
O Diua fortis; quæ tua conspicor
Trophæa? Victrix semine Tu tuo,

Reddes

Reddes beatum semen Euæ,
Carceribus stygijs reclusum.
O Sacra cæli progenies? tibi
Succumbit Orcus; Tantane carceri
Inclusa præstas? Quos reclusa
Inclyta Virgo, dabis Triumphos?
Tu cum pararet tollere perfida
Cohors Auerni, signa Polo, ocijus
Velut fugaces stringis hædos
Vnguibus horribiles, & irâ,
Quanquam supernis laudibus aptior
Et natâ paci, non sat idonea
Pugnæ ferebaris, sed ecce
Pacis eras media atq; belli;
Te vidit atrox Cerberus, horrida
Caudâ, trilingues, pallidus obtegens
Fauces; fugit: mox luctuosum
Interitum capitis daturus;
Purgata monstris terra, virens tibi
Grates rependit, missaq; luridum
Gaudet sub orcum, quæ potentèr
Herculeis opibus refringis.
Nostrisq; dictum seditionibus
Bellum resedit protinus, & graues
Pugnæ, refractæ conticescunt,
Sufficis vna malis Trecentis;

Iam iam cruento Marte carebimus,
Fractisq; diri viribus Inferi,
Nec iam per hortos diuagantes
Sulphureos metuemus angues;
Fauente nobis auxilio tuo,
O Diua quouis agmine fortior!
Nihil nocebit mundus, Orci
Insidiæ, nihil & nocebunt.
Consurge mundo Sydus amabile,
Consurge tristes, abbreuia moras
Vmbrasq;, fatalesq;, noctis
Tartareæ, remoue tenebras!
Sat sit Camænis, interea, tuis
Datum Virago; Quod superest, Tuo
Detur clienti; qui colit Te
Non tenui pietatis æstu;
Reuise CLARI, *mænia verticis*
Tibi dicati, splendida limina
Cerisq; donisq;, & precatu
Aurigeris cumulata votis,
Descende quâ Te PAVLIACÆ *domus*
Candente cliuo, turba petit Patrum.
Quâ voce, quâ cantu salutat,
Sarmaticam, indigetans, Patronam,
Specta supernis culminibus Dea,
Et fausta, sacris auribus haurias,

Voces

Voces suaues gaudiorum,
Quas tibi Mysta dicat Sacratus.
Tibi has sonantes, ille vouet, Lyras,
Turri praealtâ, CZENSTOCHOVÆ *edito*
Quae colle prostas, ô Tuumq;
Virgo potens decoratq; Fanum!
Latè, recuruis littora cornibus
VARTÆ *fluentis, murmure perstrepunt*
Colles, repulsataeq; valles,
Plausibus innumeris resultant,
Inusitatis laudibus euehit,
Te Virgo, circum barbita personant,
Fragorq; detonat Tubarum
Exhilarans nemorum recessus,
ZAREMBIANÆ *fons opulentiae*
CLARO *refusus vertice, prodigus*
Exundat, & replet remota
Atria, Virgineosq; postes;
Nostro feretur Lechicus Amphion,
Redisse, Saeclo; qui modulamine
O Virgo iucunde suaui
Euge tuos recreat penates!
Clarum praealtis hunc titulis Genus,
Necnon Auorum stemmata praedicant,
Quos plebe secernit, vetustâ
Stirpe, graduq; micans propago.

Heros stupendus, peruigil hunc LEO,
Inuicta seruans mœnia protulit:
Exculta rebus Fortitudo
Ad superos reuehit coluros;
Quanquam quid aio? pluribus is super
Fauente Cælo dotibus eminet,
Ast Numinis cultu, & fideli
In MARIAM, *pietate præstat.*
O Diua CLARO *Vertice nobilis!*
Cui dedicatis effigies nitet
Circum tabellis, & LVBIENI
Thure calet, precibusq́; Templum;
Tu Tu clientem, sub gremio tuo
Latè patenti, prouida confoue,
Non morbus hunc, nec liuor edat,
Nec laceret malus hostis vngue.
Crescat sacratus Præses honoribus,
Viuat togatus Præsul in Infulis,
Heroum & adscriptus Senatu,
Parte sui meliore viuat.
Nec ficta profundo omina; PRÆSVL *es*
Iam factus Auspex. Numine prospero,
Quodcunq́; promisit futurum
Musa, Dedit tibi iam MARIA.

HÆc sunt quæ Lyricè pangenda, VIRGINI CONCEPTÆ, Amor in Virginem suasit; Nobisq́; vt Tibi ô MAGNE

PRÆSVL,

PRÆSVL, non ſine voto, hæc ipſa dicaremus, idem & author extitit. Et iure id quidem, vtpotè, quam Tu ſtipendio Annuo, pro Muſicis Organicis, profuſo, adeò veneraris; Quidni eidẽ & Amphion noſter Claromontanus, ſuum vectigal, libens lubensq́; tecum rependat! Nihil fateor hic lucet Maieſtate illius dignum; niſi quod in hoc quoq́ue, Maxima, Hæc Virginum, ſe Magnam prodit, quia non reſpicit tantum, ſed & recipit à nobis, quæ non magna. Ergo quidquid illud eſt, quod ei affectu pio à nobis, Tuis ſub auſpicijs, offertur; Tibi idem, tanquam Noſtro Patrono, iteratis vicibus ſacrum eſto. Tenue nonniſi hoc eſt breuiarium laudum, DIVÆ Dominæq́ue Noſtræ Hæreditariæ, quod ad Te eruditè exhilarandum tranſmittimus. Ex quo enim ſatis venuſtatis, imò voluptatis, ſibi acceſſiſſe à Tuis harmonicis modulis (qui ſumptibus Tuis Pharum Claromontanam clariorem reddunt) non inuita, illa ipſa Cælorum Regina, fatetur. Fatemur & Nos munificentiâ hâc Tuâ nouâ, deliciorum ipſius antiqua, non modicum eſſe adaucta ornamenta. Audi REVERENDISSIME DOMINE, quod ſine aucupio tui affectus, candidius affero; Dotem niſi fallor coronariam, CONCEPTÆ Virgini, tunc numeraſti, cum & annuum prouentum pro Muſicâ Organicâ pridie Feſti Conceptionis ipſius, pando ſinu profudiſti. At hoc, quid aliud fuerat, niſi votum aurum diadematis inſtar, MARIANO capiti imponere? Veniſti ſoſpes, ornaſti auſpex, atque circumdediſti Muſicorum choro, Verticem Turris Claromontanæ; Tu ipſe ſerto lætitiæ, olim in Cœleſti Sione coronandus. O Te felicem! cui in gaudiorum Matrem, adeò hilarem datorem eſſe, cælitùs conceſſum. Venient crede, anni, ſæculis ſeris, quando tuum iſtud, piæ liberalitis, Nomen, æternis tubarum clangoribus in omnem perſonabit poſteritatem. Et quoniam ad tabulas Tuas ZARĘBIANAS, Noſtra Diva, Sacro hoc màgis ac màgis incipis inclareſcere clangore; Piaculum & ego duxi, ſi Te viciſſim Nouum Antiſtitem, ex

C commu-

communi lætitiæ formulâ ad Lyram MARIANAM salutare quoquomodo omitterem. Absit igitur, vt postquam omnium Peregrinorum, quotquot hactenus limina DIVÆ Nostræ visitarunt, amores Tibi, pio hoc inuento desponderis, deligaueris que voluntates, sola nostra desideretur gratitudo. Hanc contestamur, ego etiam gratans, omnium nomine offero, cum talem applausum, Nouo Tuo Honori, ac simul Gentilitio Stemmati occino.

EPISCOPATVS CHIIOVIENSIS, ET CZERNIECHOVIENSIS,

Ad Conspectum Præsulei Stemmatis, non sine Lyrico applausu Sospitatus.

NVnc est canendum, nunc varios sonet
Testudo plausus, nunc Citharis Lyra
Buxisue certent, nunc sonorâ
Voce, hilaris feriendus æther.
Nouus Sacrorum CHIOVIENSIVM
Princeps propinquat, redditus omnium
Votis, celebratur fauente
Lætitiâ. studioque Cleri;
Ad serta Musæ, stemmata Præsulis
Poscunt vicissim, vt classica perstrepent,
Sonosq́, testes gaudiorum.
Et modulos properare mandant;
Prostans ab altis, trux LEO, manibus,
Seruat micantes tres lapides sinu,
Virtutis isthæc sunt Trophæa,
Sarmaticis memoranda Fastis;

Hoc

Hoc Stemma vobis Lechiadæ iubar
Perenne fundit, fortis & hic LEO,
Fulgore vos claro serenat,
Præsuleo, radians in Astro.
Seu cura belli; hæc Fortia schemata,
Spectata semper rebus in arduis;
Victoriamq; pollicentur
Egregijs animata gestis;
Sed nec cruentis inclyta prælijs
Tantum coruscant; Dant simul & iubar,
Seu pacis enarrentur artes,
Et placidum studium quietis,
O Te beatum stemmatè, quod geris
Sacrate Præsul, Russiaci Soli,
Quem stemma, quem virtus adornat
Per Patrios reuehens Triones.
Et recta nosti, & moribus exprimis,
Nec lingua menti discrepat, ac piæ
Par vita, doctrinæ, tuisque,
Exequeris studijs honestum,
Qualem Senatus quærit & indigens
Deliberati Curia consilij;
Talis nitescis, ceu coruscus
Phœbus in æthereo theatro.
Exurge Clio, sume chelym cita,
Mijstamq; Magnum commemora; nefas
Metris inornatum sileri;
Tune pios patieris ausus
Impunè prorsus carpere liuidas
Obliuiones? Dignus Olympicâ
Quem laude tollas, qui MARIAM
Dulcisonè super astra tollit,

Per Musicorum plausus & argutas
De turre Celsâ, cum Lituis, Lyras,
Quêis saxa, syluæ, stagna montes
Grandisono regemunt susurro.
Hinc inde, circum rura iacentia
Cantu resultant & vario fremunt
Valles & amnes, tumultu,
Attonitum faciuntq; VARTAM;
O magne Mÿstes, laudibus altior
Regina Cæli, quæ tibi præmia,
Quas suauitates, pro serenis
Munificisq; refundet actis!
Vultu sereno, cernis vt aspicit,
Te te clientem, pro meritis parans
Ornare, despondet Tiaram:
Spondet opes, facilemq; Lechûm:
Regis fauorem. VIRGO tui geret
Curam perennem. Perge Fauonijs
Vectus secundis; Hûic Patronæ
Vota nouis cumulare votis;
O Macte celso pectore, nil paue,
Benè ominato nomine Pontifex!
O Perge felix, quando Diuûm
Auspicijs agitatur Vrna.
O viue sospes, lumine gloriæ.
Longos in annos, faustus & occupa
Honoris ædes, Orthodoxæ
Sis fidei Pater, atque Custos;
Ast tu vicissim Relligio caput
Attolle, vultum collige promptior,
Aude sub hoc Heroe constans,
Schismaticam iugulare Lernam.

At frustra hianti bellua conspicis
Rictu; feroces contrahe spiritus,
Hic Præsul hic, nam Te Rusorum
Finibus, eijciet nefandis.
Hoc vult ferocis Stemmatis inclytus
Splendor; LEONIS postulat id iubar,
Candore, diuinoq; Zelo
Horrida monstra procul repellet,
Hunc hunc LEONEM barbita personent,
Congratulantes huc veniant chori,
Id PRÆSVL, id LEO meretur,
Pergama qui vigilans tuetur.

CORONIS

GRATIARVM ACTORIA.

Pro Musicâ Organicâ, supra Turrim Claromontanam, instituta.

Eidem ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO ANTISTITI dicata.

QVantum splendor iste Tuus, ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME DOMINE, ex nouâ hac Tuâ dignitate, circumquaque diffusus, cum omnibus alijs, tum verò nobis, ILLVSTRI Tuo nomini semper addictissimis, lætitiæ voluptatisque attulerit; ex his, quæ hactenus etsi tenuitèr laboranti stylo, non tamen sine gestientis animi affectu expressi, facilè assequi poteras. Nisi quod parum est, eam Tibi recentis Honoris accessionem religiosiùs gratulari, cum insuper & maximas habere gratias, beneficio itidem Tuo obstricti, apprimè teneamur. Nam, si verum est illud Chilonis,

 vnius,

vnius, è ſeptem Sapientibus Græciæ, monitum; *Quæ beneficia*, inquit ille, *acceperis, perpetuo momento* : Certè memori quoque & Nos recolere mente, erit neceſſe, illud tuum memorabile opus, quod Tu in Noſtro Claro monte, munificus Mecœnas, non ita pridem edidiſti. Quod qualeue ſit, & quantum guſtui Diuæ Noſtræ arrideat, ex hâc Coronide dictionis noſtræ, ſi tantiſpèr beneuolus mentem aduerteris, planiùs cognoſces.

ATq́ue inprimis dabis veniam ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME ANTISTES, candori noſtro, ſi Te Magnum Præſulem interea creatum, nunc inſuper & maximum Pſaltem huius Diuæ Noſtræ, appellauero, nimirum, qui eandem Magnam Matrem, cum alias ſemper precibus ſacris, nunc etiam variorum inſtrumentorum concentu, tubarumq́; clangore, in vota vocare publicè non ceſſas; incentor quidā, imò verò excitator Marianus abhinc effectus clariſſimus, ac vel ideo æterno præconio digniſſimus. Nam ſi Plato ille diuinus, vatum quoddam genus, ab hominum conſortio eximendum, ac inter Superos cenſuit recenſendum, quod, diuino quodam Spiritu incitati, ſingularia viuendi documenta, hominibus prodidiſſent. Cur non & ego, Te cæleſti quodam igne afflatum dixerim? qui per Muſicas has iubilationes, recens à te excitatas, languida multorum hominum corda, ad cultum Diuiparæ quotidie ardentiùs reddendum, dulcedine modulationis iſtius, non excites tantum, ſed impellas. Quis enim adeò ferus & incultus eſt, qui ambigat? Muſicam cum homine, habere mirabilem Sympathiam? Mitto pueros, & infantes, quibus ploratum & lachrymas cohibet & abſtergit. Prætereo adoleſcentes, qui ad hilaritatem, ſono cantuq́; traducuntur. Non commemoro vt ætate, ita & mærore confectos ſenes, qui vitæ ſubtriſtioris frigidioriſq́ue tædia, Muſicæ ſuauitate, non tantum leuant ac minuunt, ſed & vigorem conſopitū, in ſe excitant & accendunt; Verbo dicam, totam, hanc orbis

machinam

machinam qui vult excutiat, totam luſtret & percurrat, & protinus nullam nationem adeò barbaram, aut ſtatum hominum adeò ferinum reperiet, qui aliquâ cantione non moueatur? Quid conuiuia, Nuptiæ & aliæ publicæ celebritates, annon ad Muſicam lætitiam inſtitui conſueuerunt? Ipſæ lamentationes, næniæ, quibus mortui lugentur, ipſa funeralis pompa quâ efferuntur, an non cantibus tibijſque permiſcentur? vt cauſa flendi, aut dulcior fiat, aut doloris acerbitas inſtrumentorum ſuauitate mitigetur? Hinc non defuerunt benè conſtitutæ ciuitates, vbi lege latâ, à viris ſapientibus, vſus perpetuus Muſicæ fuerat ſtabilitus; ſecùs qui eius ſuauitatem non ſentit, ille hominem ex homine exuiſſe cenſendus; Similis illi Scytharum Principi, qui, cùm Iſmenias quidam captiuus tubâ in cœnâ optimè ceciniſſet, ſe hinnitum equi auditurum libentiùs iurauit. Ergo quam naturæ ductu expetunt omnes, quam ex ſententiâ Platonis, cæleſtes orbes propter temperatam ſyderum conuerſionem, imitantur, cuius concentu omnes feræ animantes à feritate ad manſuetudinem deducuntur; Hanc tu Muſicam, in Turre Montis Clari, annuo ſtipendio numerato, liberalitèr excitaſti. At quo animo? quâ intentione? quæret quiſpiam, à te id factitatum? Nullo alio meliore, quàm vt acceſſione huius apparatus, cultum maiorem, erga Diuam Noſtram, excitares: Montemque Clarum clariorem faceres, imò vt hanc ipſam, Diuam, in baiulâ, plenâq; diuinæ cuiuſdã poteſtatis, Imagine, ad miracula patranda natam, (ſi ita humanitùs, fas eſt dicere) ardentiùs incenderes ac prouocares. O quam in te, è veritate quadrat, illud vetus dictum Græcorum: AMOR MVSICAM docet. Sit hoc in Amorem impurum, iactatum olim prouerbium; Te Amor diuinus, Amor inquã Parthenicus, totum permouit, vt omnis puritatis Matrem caſtâ hac melodiâ honorares. Verùm nec eſt timendum quidquam, ne fors eo concentu, quiſquam peregrinorum in peius emolliatur. Nam vt cùm Boëtio, doctrinâ non minùs, quàm

ſanctita-

ſanctitate celebratiſſimo Heroe, ingenuè confitear, *Muſicum concentum, morum mutationes, vt plurimum conſequi.*

FActum optimè, vel ex hâc quoque ratione, cum peregrinis noſtris, toties animos eorum conuertendos, quoties concentum hunc, diuinas Virginis laudes emodulantem, puris auribus exceperint. Ecquius etiam duriſſimum pectus, pudici illi ſoni, Virginaliſque modulatio, ab editâ turre circumquaque diffuſa, ad cultùm quantocijùs Diuiparæ reddendum non permouebit? quæ, dum ſenſus aurium percellit, non titillat, vt corrumpat; ſed ſuauitèr ſauciat, vt ſanet; ipſum hominem, quaſi vnguento Cæleſti delibutum, animitùs perfundens. Atq; hic eſt ille fontanalitiùs fructus, qui ex adeo pio Tuo adinuento, inter Claro-Montanos peregrinos propediem ſperatur prouenturus; nimirum vt conſopiti, in pectoribus illorum deuotionis motus, Sacrâ illâ oblectatione expergefacti, protinùs exſuſcitentur; & ſi qui ex eis, prauiores mentes hùc attulerunt, eodem inſtrumentorum ſonitu perculſi, vitiatas paſſiones penitùs exuant, totique in Dominam ac Patronam ſuam, nouo feruore concepto exardeſcant. Neque enim fas eſt cogitare de Muſicâ hac ſacrâ, quod de Muſicâ communiter iactatur. Inſtrumenta illius inhoneſtè tacta, mentem ſæpè ferire, ac inhoneſti amoris ſpicula cordi infigere, vt non ſegniùs ſonus ipſius auribus illabatur, quàm mollities & luxus pectus permeet ac ſimul perimat; Non item hæc noſtra Eccleſiaſtica, cuius ſuauitate, imò veriùs ſanctitate, concupiſcentiæ ignis ſopitur, virtutum deſideria nutriuntur; ardores cæleſtes augentur. Sic enim mulcet aures, vt ad omnem caſtitatem, corda permoueat, triſtitiam Spiritualem leuet, pietati augendæ famuletur. Vnde vitalis cantus ſonituſue hic, merito dicendus; Noxius ille lethaliſque cenſendus. Quos ſanè ſalutares effectus à Muſicâ Organicâ, in mentibus humanis ingenerari, doctiſſimi quique ex Antiquioribus Philoſophis docuerunt. Et quidem inter alios plurimos, Tyrtheum, Xenophontem,

Empedo-

Empedoclem, artis Musicæ peritissimos, plurimùm quâ excitandis, quâ componendis moribus hominum, valuisse, præter Plutarchum testis est Aristoteles. Quod ipsum relatus Boëtius ex mente eiusdem Plutarchi, de Arione Metymneo, Ismeniâ Thebano, & Talete Cretensi, qui Lesbios, Iones, Lacedæmonios, iam cantu, iam tubarum concentu, grauissimis morbis afflictatos, liberarunt: Nisi quod præ omnibus alijs, maiori laude exornandus esse videtur, Pythagoras, Italicæ Philosophiæ splendor, qui eos, quos in eodem contubernio alendos susceperat adolescentes, Musicâ quâdam salutari propemodũ excantabat. Nam per singulos dies vesperi; Lyræ sonum adhibebat, antequam somnum caperent, vt perturbationes, animorumque turbidi motus, quos interdiu, res oculis auribusque obiectæ excitassent, sedati conquiescerent; tum verò expergefactis mane, quibusdam alijs modulis, somni soporem & reliquas nocturnas imagines abigebat. En quo tandem cum oratione meâ deueni, vt Tui huius Diuini inuenti, genuinam idæam, à tot sæculis in eruditâ antiquitate, sepultam, nouitèr eruerim; Te nimirum hâc nostrâ ætate, nouum futurum, eumq; Lechicum Pythagoram, antiquus ille in seipso expressit, qui similitèr cum Oriente & Occumbente Sole, per nouas has, supra turrim Claro-Montanam, modulationes nuper institutas, desides quosuis cultores Marianos; quasi veterno excusso excitare, alios verò & diurnis distractionibus fatigatos, quoquomodo recreare; quin & ad recolligẽdũm per pias, ad MARIAM, adspirationes, Tu ipse pius monitor impellere prudentèr voluisti. Nouus scilicet Amphion nostro Claro Monti, Noua Siren; Nouus Orpheus, cælitùs es datus, *qui non iam feras, & concita, vt ait Pòëta, flumina, Threiciâ sustineas Lyrâ*; sed confertissimos quosque peregrinos, fluminum instar per Montem nostrum diffusos, sacro hoc Symphoniæ sono, circa primam, vltimamque diei lucem, ad debitum Sacratissimæ Virgini pensum, reddendum, alacriores suâpte facis. Atque hîc, quis exa-

ctè explicet, quantus, quamque ingens concursus fiat, si non pedum (neque enim omnibus præuenire Auroram, templumque Marianum adire, quouis tempore conceditur) at saltem affectuum motibus, quibus excitati, ad Diuam Nostram quotidie, vel à longinquo salutandam, statim atque sonitus Musicæ Organicæ increpuerit, sese accingunt; vsq; adeò vt plurimis per compita & domus diuagantibus, tàm in campis, quàm in publicis viarum areis, orare, & Diuæ Nostræ benè precari, in morem transierit. Hæc nimirum est Cælestis imitatio industriæ, publico hocce obsequio, omnis conditionis sexusque homines, istum in locum confluentes, ad deuotionem hilaritèr obeundam accendere; atque tot pectoribus esse pium, quotquot tuo hoc harmonico concentu, ad noua vota concipienda vspiam incitabuntur. Quorum salutaris hic feruor, tuorum insimul; non modicam, in futurum faciet accessionem meritorum. Diuinum omninò hoc tuum inuentum! modulationem non minùs potentem, quàm suauem, quæ non solum prætereuntium hospitum sensus detinet oblectando, verum & animos fidelium, vinciendo mirum delectat. Ita Tu ô MAGNE PRÆSVL ac Mecœnas Colendissime, præter quã, quod per Musicum hunc tuum concentũ (tuis enim auspicijs, sumptibusque subsistit) quotidiana, cum Diuâ Nostrâ, misces colloquia; Insuper ijsdem Marianarum laudum, de celsâ turre editis modulationibus, malorum Geniorum, per aëra diffusorum potestates coerces, itinerantium animos relaxas, laborantium vires reparas, ægros, si alicubi in viciniâ, lectis affixi detinentur, reficis, nec finis, in vacua, sensus illorum de facili euagari. Quin imò ijdem præ dolorum molestiarumque vehementiâ, fortè patrocinij Mariani obliti, MARIAM sibi Auxiliatricem protinùs in mentem reuocent, ac simul spei pleni, ad Patrocinium ferendum inuocent paratissimam, tuo inquam concentu totum id efficis. Sic, sic Tu salutaritèr sanè, iuxta Psalmistam: *Proposuisti Hierusalem hànc viuam, in principio*

lætitiæ

lætitiæ tuæ; nimirum sub initium consecuti Antistitij, quam ita in Hymnis & Canticis, absens etiam, in Monte Claro rite celebras, vt credibile sit, dum hic suaues hæ tuæ inflantur tubæ, per interualla à quatuor partibus turris, pari sibi occurrentes gradu, repercussæque à syluis & collibus proximis clariùs concinnentes, ad tuum vsq; Cænobium Suleouiense, sonoras imagines proculdubio transmittant, vnde velit nolit cor tuum Præsulare, subsilire debet, lætitiâque cælesti in immensum perfundi. Dignissimum omninò, vt abhinc non iam Mercurij Lyra, aut fides Orphei, Amphionisue testudo fabulosè inter Sydera collocetur, sed Tu ipse, quantus quantus es, cœlo aliquando, interuentu huius Reginæ, redoneris. Et redonaberis certissimo, cælestium Musicorum choro stipatus, qui alijs Præsularibus tuis precibus, etiam, adeò suauem Musicam admisces. Memoriæ proditur à Plutarcho, antiquos Ethnicorum Theologos, tanti Sacram hanc Harmoniam fecisse, vt Musica instrumenta, Deorum suorum manibus imponerent; *Rati nihil magis Dijs, quam concentum conuenire.* Quàm tu longè felicior es, ô ILLVSTRISSIME PRÆSVL, qui non Deorum fictitiorum, sed omnium Diuinissimæ Diuæ, ex cælorũ stellato æthere, benigno vultu sese, ad Tuum hunc concentum audiẽdum inclinantis, hæc ipsa instrumenta Musica, per suum vocalem sonitum latè exserta ac diffusa, manibus ipsius ingessisti. Ac ne quid liberali generosoque animo tuo deesset, etiam ex Turri nostrâ Claro-Montanâ, in perpetuæ subiectionis signum, in Peruigilio Sacræ ipsius Conceptionis, Sospes & Auspex suspẽdisti, vt quoties postmodum, sacra modulamina inibi audientur, Tu similiter Munificus ipsorum Fundator, non sine lætitiæ sensu vbique prædiceris. Quin tubæ quoque & Tibiæ ipsæ, Tuis impensis hactenus animatæ, Miraculorum per Diuam Nostram patratorum prædicatrices, Beneficiorum sonori præcones, Maleficiorum (interuentu eiusdem Virginis, ab hominibus depulsorum) excantatrices, merito vocabuntur.

Nec plura aut Musicis instrumentis laudandis, aut Tuis præconijs adornandis subijcio. Tua siquidem ista satis superque pia liberalitas, ipsa sibi ad laudem, imò ad meritum sufficit, potens pollensque, Te ab omni obliuione æternùm eximere; Inanium etenim est, aliunde emendicatis coli laudibus, cum plenæ Tuæ virtutes, amplum cuiuis de se porrigunt conspectum. Nisi quod & nos ingratitudinis, ne dicam, impietatis, iure à quoquam accusari possemus, si aliquo, tenui licet Symbolo, non tenuem certe animi nostri affectû, testari erga Te quoquo modo neglexissemus. Id ergo facimus, istis Pierijs aliquot versibus. Admitte illos, vt in manum, ita & in animum. Et prout cæpisti, in reliqua subsequentia tempora, adeo Honoro & canoro Tuo sumptu, cultum Diuæ Nostræ promouere & ornare non cessa, obnixè petimus. Sic enim fiet, vt dum Tu, ad Tubas Tuas ZAREMBIANAS, Gloriam nomini ipsius, decantari perennitèr feceris; Illa vicissim ad Tubas suas MARIANAS, prosperiorem, magis ac magis famæ & felicitati Tuæ, cursum facere, nil morabitur. Id vouemus; Hoc, ipsius nomine, fide bonâ vadimonium appromittimus. Neq; enim officijs alijs tecum certare æquiùs censemus, quàm his votorum & Orationum obsequijs, quibus à Tuâ munificentiâ in posterum quoque vinci, quam velle vincere, & nobis deprecatoribus tuis, magis fiet proficuum, & Tibi maximè gloriosum est, eritque semper futurum.

ΠΡΟΣΑΓΟΡΕΥΤΙΚΌΝ

SIVE

SALVTATORIVM CARMEN

Pro felici Aduentu Reuerendissimi Antistitis, ad Montem Clarum.

SVrge fulgenti redimite serto
Phœbe, qui Xanthi eluis amne crines
Huc citus, lætas age, duc volatus
Remige penna.
Hippocrenei veniantq; riui,
Pegasi fontes; Aganipidumque


Præ-

Præses, adductis, Helicone ab alto,
Scande, Camænis.
Monte nam CLARO *positus coruscat*
PRÆSVL *Illustris; radiante Mitrâ*
Fulget, vt nigræ, per opaca, noctis
Hesperus ardens;
Huc ades Græca, fidicen Thaliæ,
Et nouos gratans cito funde plausus
Suauiùs pulsans viridante, plectrum,
Fronde reuinctus.
Dum nouus, nostras veniens ad oras
Hospes, it totus roseâ, nitescens
Fronte, virtutum radians ocellis
Gentis & Armis.
Quem LEO *fortis, Triplicesq;* GEMMÆ
Mænibus pôstæ, decorant, paternis,
Robur & Fulgor paritèr pererrat.
Præsulis Arma.
Præsul at contra, est pietate suauis,
Quâ Rosas vincit, niueosq; flores,
Balsami rores, & odora Medi
Cinnama trunci.
Omnibus dignus Lechiæ Tiaris,
Grandiùs num quid vouеam! sequatur
Hunc Salus, & pax & aperta, pando
Copiæ cornu.
Turba fortunæ, Litui Sacrati,
Gratiæ cingant, Trabeæq; circum

Præsu-

Præsulem, longos, Superûm fauore,
Protrahat annos.
Adsit hoc illi pretium decoris,
Quo DEI *Matrem, per amæniorem*
Musicam exornat, modulisqúe, puræ
Sacra, Dianæ;
Gratus & pulcher viuat, ac amœnus
Et LADISLAO, *Patriæq; charus,*
Infulam gestet benè sospitalem,
Sospes & ipse,
Sola Tu summi, Cynosura, Cæli,
Virgo bissenis redimita stellis,
Colle quæ CLARO *resides, fouere*
Perge clientem.
Semper illius comes & Patrona,
Quando nos votis oneramus Aram,
Et Tuam sacram Effigiem precatu,
Atque tabellis.
Fac eum Virgo, spatiosa lustra,
Et serenatas sine nube luces
Nescios litis, vacuosque curæ
Ducere Soles.

CLARVS MONS AD LEONEM
Gentilitium Stemma Reuerendissimi.



Z.

E. Ch.

Et Cz.

HIc LEO, mellifluos generat mihi gutture cantus,
Parturit are sonos, parturit ore melos;
Ora Palæstini, cedant tibi blanda, Leonis,
Moriuus ille habuit, quæ bona viuus habes.
Non tibi rugitus, rabies, nec dira Leonis,
Sed tenera Agnelli, sors erit apta magis.

AD ZOILVM.

QVem spectas, muro prostat LEO; non tamen vllum
Aspectu, mitem, territat ille, suo,
Illius virtus, subiectis parcere; ni fors
Oppositum, qui se læderet, vsq; foret;
Zoile, quiq; libello isti, arma inimica minaris
Heu fuge, nam subito, te ferus, vngue petet.